

patum obtinet generatio. Ratio etiam id constat, quia alteratio, et augmentatio et reliqui alii sunt vere species motus, et per se: ergo de illis agit Philosophia tanquam de aliquo pertinente ad illam per se, et non reductive, sicut etiam agit de motu locali in libris de Cœlo, et de augmentatione hic: ergo assignanda est aliqua pars Philosophiæ, quæ per se agat de illis, sicut agit de motu locali, non est autem alia pars, in qua tractetur de alteratione, et augmentatione nisi in ista.

Unde colligitur, quod subjectum istorum librorum est mobile ad formam intrinsecam, secundum quam fit generatio, vel corruptio, vel quæ ad illam ordinatur. Nec propterea agit de aliquo confuso ex substantia, et accidenti, ita quod subjectum ejus sit aliquod analogum, tum quia subjectum ejus non est accidens, et substantia, sed mobile ad formam substantialem, vel accidentalem, quod in se quidem substantia est subjective, licet terminative ad aliquod accidentale terminari possit: tum etiam, quia de accidenti, et substantia potest tractari in aliqua scientia, tanquam de objecto univoco in ratione scibilis, licet sit analogum in ratione entis sicut patet in Metaphysica, quæ est unica scientia, et tractat de accidenti, et substantia, eo quod bene possunt res analogice convenientes manifestari eodem lumine, et ex eisdem principiis, et sic in ratione manifestabilis, et scibilis convenire univoco.

Objicies: Si pertinet ad istos libros per se agere de augmentatione, et nutritione, ergo non pertinebit per se agere de illa ad libros de Anima, cujus oppositum diximus ex D. Thomæ in initio Physicorum distribuentes partes Philosophiæ, juxta species motus, in quibus augmentatio, quia vitalis est, pertinet ad

libros de Anima, vel agatur de augmentatione in eadem scientia his. Secundo, sequitur quod tractatus iste de generatione præcedat tractatum de Cœlo, siquidem in tractatu de Cœlo agitur de motu locali, qui imperfectior est motu generationis, cum terminetur ad ubi, quod est imperfectius quantitate, qualitate, et substantia, ad quæ motus isti terminantur.

A primum respondetur, id his libris agi de augmentatione, et nutritione, non ut sunt motus vitales, et ab anima vivente, sed ut sunt mutationes quædam corruptivæ, vel generativæ partialiter. Non est autem inconveniens, quod de eodem his tractetur in eadem scientia secundum diversas considerationes, sicut in libris de Cœlo agitur de elementis, quatenus in hoc universo determinatam situationem ad locum postulant, in his autem libris quatenus sunt generabilia, et corruptibilia. In initio autem Physicorum diximus de motu augmentationis agi in libris de Anima quatenus vitalis motus est, et ab anima procedit, non sub ratione motus corruptivi.

Ad secundum respondetur, ad summum probare, quod libri de Generatione sunt priores dignitate, quam libri de Cœlo, non tamen ordine doctrinæ cum potius ab imperfectioribus procedatur. Adde quod licet motus localis ex præciso conceptu ad suum terminum, qui est ubi, sit imperfectior alteratione et generatione, tamen motus localis, qui convenit cœlo prius tractari debet in Philosophia, quam alii motus, tum quia subjectum talis motus est aliquid dignius, et superius, scilicet ipsum cœlum; tum quia habet causalitatem motus ejus in reliqua inferiora, et sic dato, quod incipiendum sit ab eo quod est dignius et perfectius etiam a motu locali

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit generatio communiter dicta, et generatio propria viventium?

Generatio communiter dicta potest sumi pro generatione, ut abstrahit a substantiali, et accidentali, nam etiam accidens aliquando generari potest, scilicet si accipiat esse per transmutationem ex non esse, ut mutatio, et non solum per transmutationem ex contrario, ut motus. Hoc modo sumpta generatio definitur communissime: Quod est transitus seu mutatio de non esse ad esse, in subjecto, sive sit esse substantiale, sive accidentale, sive secundum quid, sive simpliciter.

At vero generatio substantialis communiter dicta accipi potest pro generatione communiter inventa in viventibus, et non viventibus, et sic definitur generatio: Quod est acquisitio, seu mutatio formæ substantialis a privatione illius in materia. Sumiturque ista definitio ex variis locis Aristotelis, quibus illam explicavit. Nam in octava Physic. text. LXII, dixit: « Quod generatio est mutatio de non ente in ens. » Et I de Generat. c. IV: Quod est: « Mutatio totius in totum nullo subjecto sensibili manente, » id est, in materia nuda ab accidentibus sensibilibus. Denique, cap. V ejusdem libri dicit: « Quod generatio substantialis est mutatio a substantia in potentia ad substantiam in actu. »

Denique, generatio viventium speciale definitionem habet, quia specialiori modo procedit. Et defini solet dupliciter, uno modo communiter, quod est *processio viventis ab aliquo*: ubi comprehenditur tam generatio viventium univoca, quam æquivoca, tam quæ est ab alio vivente, quam quæ est a non vivente,

isto, qui cœlo convenit incipiendum est, quia prout sic causans, est dignior. Denique, motus localis universalior est et pluribus conveniens, quam alteratio, et augmentatio, invenitur enim in omni corpore; a communioribus autem incipiendum est.

Ordo questionum.

Totum tractatum duodecim questionibus absolvemus, novem circa primum librum; et tribus circa secundum. Prima erit de generatione substantiali. Secunda, de corruptione ei opposita. Tertia de alteratione in communi. Quarta, de alteratione in speciali, ut de intensione, et remissione, etc. Quinta, de reactione, et repassione. Sexta, de mixture. Septima, de condensatione et rarefactione. Octava, de augmentatione, et nutritione. Nona, de subjecto accidentium, et principio individuationis.

Circa secundum librum, quæstio decima erit de elementis: undecima, de mixtis: duodecima, de reproductione rei præteritæ.

QUÆSTIO I.

DE GENERATIONE SUBSTANTIALI.

Tria sunt a quibus differt generatio, scilicet ab alteratione, a corruptione, et a creatione, et consequenter a transubstantiatione, quæ substantiam rei totaliter attingit. Et ideo declaranda est generatio substantialis secundum quod distinguitur ab istis tribus. Prius tamen præmittendum est de questione an est generatio, an detur, et quibus principiis a Philosophia inventa sit, et quomodo definiatur.

sicut cum animal generatur a cœlo. Proprie autem definitur generatio viventium, quando etiam fit per actionem vitalem generativam, et sic diffinitur, quod est *processio viventis a vivente a principio vite conjuncto in similitudinem naturæ, saltem in specie infima*, et sic comprehendit omnem generationem vitalem, et rei viventis substantialis etiam in Deo, ut postea explicabimus.

Est tamen advertendum, latius patere generationem substantialem, quam generationem simpliciter. Generatio enim substantialis dicitur per contrapositionem ad accidentalem, sive id, quod generatur sit pars, sive totum, sive formæ ultimo completis, et terminantis totam generationem, sive formæ non ultimæ, sed tendentis ad perfectam, et ultimam. At vero generatio simpliciter, licet nunquam dicatur de generatione accidentis, quæ semper est secundum quid, tamen nec etiam dicitur de omni substantiali, sed de illa tantum, per quam habetur esse simpliciter, et ultimate completam. Unde generatio partis non dicitur generatio simpliciter, sed potius ageneratio; et de forma embryonis, quæ est imperfecta et quasi in via, et tendentia ad formam hominis, vel equi, non dicitur generatio simpliciter, quia in illo non consummatur generatio, sed ulterius tendit. De quo videatur D. Thomas I de Generat. lect. VIII et IX.

Circa definitionem generationis substantialis communiter dictæ illa solum se offert difficultas, an sit de essentiali ejus ratione quod sit mutatio, an vero hoc accidentaliter illi conveniat, ita quod possit salvari generatio creata sine mutatione, nam de increata id certum est, cum in ea non sit transitus de potentia ad actum, in quo fundatur ratio mutationis, sed solum est commu-

nicatio actus puri assimilativa termini generati principio generanti.

Circa hoc ergo, aliqui existimant generationem non esse essentialiter mutationem, sed posse esse, hoc tamen sibi accidere. Fundamentum est, quia non est de essentia generationis, quod præcesserit duratione privatio formæ generandæ, licet enim connaturali modo loquendo generatio non fiat, nisi præcedat alteratio, quasi disponens materiam, et inchoans generationem, atque adeo supponens privationem formæ generandæ duratione præcedere, tamen potest non præcedere duratione privatio, si in ipso instanti generationis producat a Deo materia, quæ toto tempore antecedenti non fuerit, et in illo instanti introducat formam, ut quando ex speciebus Eucharistiæ generatur aliquid, tunc enim in instanti generationis subrogatur a Deo materia, quæ maneat in ipso generato, et posset etiam talis materia subrogari, etiamsi antecederet nihil aliud præcessisset, quod generet vices materiæ, et consequenter haberet vices rei privatæ formæ, ut si a Deo crearetur materia de novo, et applicaretur illi agens educens formam, tunc illa generatio non posset esse mutatio, quia non procedit de privatione ad formam quod requiritur essentialiter ad rationem mutationis, quæ est de non esse ad esse, tunc autem non datur privatio in toto tempore antecedenti, cum materia non fuerit, neque in ipso instanti generationis, quia sic esset simul privatio et forma.

Nec sufficit dicere quod præcedit privatio in instanti naturæ, licet non in instanti temporis. Nam contra est, quia instans, seu prioritas naturæ non designat id quod est prius in existendo, et a parte rei, sed solum signat formalitatem, secundum quam aliquid dicitur con-

venire, vel non convenire alicui, non autem quod de facto conveniat, vel non conveniat, et sic præcedere privationem in instanti naturæ nihil aliud est, quam quod materiæ secundum suam essentiam non conveniat forma, seu ex se careat tali forma, non vero quod de facto in re careat, quia in illo instanti non potest carere, siquidem in illo instanti habet formam, ergo non salvatur, quod de facto et in re sit mutatio, quia in re non transit de privatione ad formam, quia in re non datur talis privatio. Item etiam quia de ratione mutationis est ut subiectum aliter se habeat nunc, et prius, ut dicit D. Thomas, I p. qu. XLV, art. II ad 2, sed materia in illo casu non se habet nunc aliter quam prius, siquidem prius non fuit in reum natura, ergo non dabitur vera mutatio.

Nihilominus dicendum est: Omnem generationem creatam, quæ habet causam materialem ex qua fiat, essentialiter, et intrinsece esse mutationem. Constat hoc in primis quia Philosophus perpetuo diffinit generationem per mutationem, et definitione. Patet hoc in isto libro de Generat. text. XXIII, ubi diffinit generationem, quod sit *transmutatio totius non manente subjecto sensibili*, et text. XXV: *Quod generatio est mutatio a substantia in potentia ad substantiam in actu*. Et VIII Physicor. text. LXII: *Generatio est mutatio de non ente in ens*, et V Physicor. textu VII: *Quod generatio est mutatio de non subjecto in subiectum*. Ubi perpetuo assignat Aristoteles pro ratione generica generationis mutationem, quod est esse ipsi essentialem. Unde D. Thomas q. II de Potentia, artic. I ad 15, expresse dicit: « Quod generatio est species mutationis, ex illa parte, quæ natura per generationem reci-

pitur in aliqua materia, quæ est mutationis subiectum: » ergo supponit quod mutatio est prædicatum genericum mutationis, et consequenter est illi essentialia. Et idem sumitur ex illis locis, in quibus docet generationem, et corruptionem esse duas mutationes, licet non sint duo motus, ut in q. XXVIII de Veritate, art. I et VI, et I-II, q. CXIII, art. VI, ut in sequenti articulo ponderabimus. Denique, definito motus tradita a Philosopho in Physic. etiam convenit mutationi instantaneæ, et generationi, ut ex Thoma et Aristotele probavimus in Phys. q. XIV, art. I.

Ratio est, quia generatio essentialiter versatur inter duos terminos a quo, et ad quem, educit enim, vel introducit aliquam formam quam respicit, ut terminum ad quem, siquidem est tendentia in talem terminum, ab eoque specificatur, si autem essentialiter habet terminum ad quem, essentialiter etiam respicit terminum a quo, quia est impossibile, quod intelligatur aliquis terminus ad quem fieri de novo, nisi ex aliquo termino a quo, sive negativo, sive privativo, sive positivo, sed omnis transitus, seu tendentia de termino a quo ad terminum ad quem in subiecto essentialiter est mutatio, cum deseratur unum, et acquiratur aliud; non enim utrumque acquiritur, vel utrumque deseritur, sed unum accipitur, et aliud relinquitur: idque fit in aliquo subiecto; ergo essentialiter generatio est mutatio. Et confirmatur, quia per introductionem formæ in instanti generationis, etiamsi privatio non præcedat tempore, materia formaliter reducitur de potentia ad actum, et ipsa forma vere, et proprie educitur ex illa potentialitate materiæ, ergo vere et proprie materia transmutatur. Consequentia patet, quia invenitur ibi potentiali-

tas materiæ, et indifferentia reducta in actum per formam, et ipsa forma educta in actu de potentialitate illa materiæ: ergo invenitur materia mutata de potentia ad actum, et informata per formam, quæ informatio in genere causæ formalis tollit potentialitatem materiæ, et excludit privationem in facto esse, ergo datur mutatum esse de facto: ergo etiam generatio, quæ totum hoc efficit est mutatio in fieri, sicut per ipsam formam datur mutatio formalis, et in facto esse.

Ad fundamentum oppositum respondetur quod in casu generationis ex speciebus Eucharistiæ, jam diximus in q. II Physic. art. III ad ultimum, quod ibi non variatur naturalis ordo generationis, quia quantitas conservata sine subjecto gerit in omnibus vicem substantiæ, et sic recipit dispositiones antecedentes, quibus determinatur materia ad generationem, et consequenter gerit vices materiæ privatæ forma, et hac ratione præcedit in illa generatione privatio: non quidem in materia, sed in substituto materiæ, scilicet in quantitate prout gerit vices illius. In instanti autem generationis subrogatur materia a Deo, ut componens rem generatam, cum eadem determinatione ad formam, quæ ex vi dispositionum præcedebat in quantitate perinde ac si toto tempore ante præcessisset materia, quia producit ut continuata ad id quod gerebat vices materiæ antecedenter; et sic generatio illa fit ex privatione, quæ in illo instanti expellitur in facto esse a materia, in toto autem tempore antecedenti præcessit non formaliter in ipsa materia, sed virtualiter, scilicet in eo, quod loco materiæ habebatur. In casu autem quo, quod nihil præcessisset ante de materia neque de aliquo, gerat vices materiæ, et dispositiones recipiat ad generatio-

nem, respondetur quod tunc sufficit ad rationem mutationis, qualis tunc invenitur, quod præcedat privatio prioritate naturæ, non temporis.

Et quando urgetur, quod si privatio non præcessit duratione, non dabitur in re mutatio de tali privatione ad esse, respondetur in primis quod si tunc tollitur mutatio, etiam tollitur generatio, et quod sufficit ut generatio maneat, sufficit ut maneat mutatio. Unde addo quod sufficit privatio non duratione præcedens, sed in re exclusa et expulsa in illo instanti per formam introductam ab agente extrinseco vel eductam e materia, ut detur in illo instanti mutatio, quæ non petit privationis existentiam ut in re detur, sed exclusionem privationis in re, excluditur autem privatio, etiamsi non præcesserit duratione per hoc solum, quod potentialitas materiæ ab extrinseco agente immutatur educendo formam, et sic formæ carentia excluditur, non per propriam emanationem, sed per propriam agentis actionem, atque adeo immutationem. Et licet prioritas naturæ non dicat existentiam, seu durationem rei, sed solum quod ex vi naturæ aliquid conveniat, vel non conveniat, tamen hoc sufficit ut dicatur subjectum mutari, quando per actionem extrinseci agentis excluditur privatio, non quæ inerat formaliter sed quæ debebat inesse, si per actionem illam non tolleretur educendo formam, vel uniendo.

Ad ultimam autem instantiam, quod mutatio dicit aliter se habere nunc quam prius, respondetur quod in mutationibus instantaneis, si illas præcedit aliquis motus per modum dispositionis requisitæ, sicut communiter accidit secundum ordinem naturæ, tunc necesse est, quod aliter se habeat nunc, quam prius prioritate temporis, in quo dis-

positiones illæ et motus illi præcedunt, et similiter privatio formæ generandæ. Cæterum si mutatio instantanea sumatur secundum præcisum conceptum suum, et remoto eo quod antecedit naturaliter, mutatio dicit aliter esse nunc quam prius prioritate naturæ, dummodo in subjecto impediatur privatio, ne detur, per actionem agentis extrinseci introducentis formam, inde enim regulari debet quod sit mutatio, non ex præexistentia privationis. Et ita in alio reali instanti est privatio non afficiendo subjectum, sed in expelli ab illo per actionem extrinsecam, quia illa prioritas naturæ non est existentia, sed expulsionis, et consequenter mutationis pro illo instanti, in quo est introductio formæ.

Et si dicas: Nam ad quietem non sufficit, quod eodem modo se habeat aliquid nunc, et prius secundum prioritatem naturæ, alias posset aliquid quiescere in uno tantum instanti, sed requiritur, quod se habeat sicut prius prioritate temporis, ergo similiter requiretur ad mutationem, quæ opponitur quieti, respondetur quietem privativam requirere quod aliquid se habeat nunc, sicut prius prioritate temporis, non autem quietem negativam, et similiter id requirere motum, qui constat ex duabus mutationibus, scilicet generatione, et corruptione, non autem mutationem instantaneam ex suo præciso conceptu, ut quando non habeat ad iunctum motum præcedentem, nec corruptionem formæ oppositæ. Motus autem qui proprie opponitur quieti, est ille, qui includit duas mutationes, corruptionis, et generationis, seu qui est motus successivus, in quo invenitur esse alter nunc, quam prius prioritate temporis, non vero requiritur ad mutationem instantaneam, sicut neque ad quietem negativam.

De generatione viventium.

Circa definitionem generationis viventium duas particulas oportet explicare. Altera est quomodo sit *processio a principio vitæ conjuncto*. Altera est *in similitudinem naturæ*. Ut prima particula explicetur est advertendum, quod ad generationem rei non viventis non requiritur, quod res genita vel materia ex qua generatur sint conjuncta generanti, et intra ipsum, sed sufficit quod materia sit juxta posita, et extrinsece applicata, ut ex illa aliquid generetur, sicut ignis generat ignem ex ligno juxta se posito, et applicato non intra se unito. At vero viventia intra se formant id quod generant, et ex sua substantia præbent materiam ex qua generetur, imo quanto perfectior est natura viventis, tanto res genita conjunctior est principio generanti, ita quod in natura intellectuali res, quæ procedit ab intellectu, non solum quando fit, et formatur, sed etiam quamdiu existit intra intellectum manet, nec ad aliam potentiam, vel subjectum emittitur. Et ex hoc distinguit D. Thomas IV cont. Gent. cap. XI, et in III, distinct. VIII, quæst. I, art. I, diversos gradus emanationis in viventibus penes hoc, quod res genita sit magis, vel minus conjuncta suo principio generanti, sicut videmus in plantis, et animalibus, quod procedit et deceditur semen ex ipsis, in quo est virtus formativa rei genitæ, et materia ex qua formatur. Unde ipse factus in principio colligatur suo generanti, vel fructus arbori, fœtus matri animalium, sed tamen inde postea separatur, quando nascitur, ideoque dicitur procedere a principio vitæ conjuncto, tum quia materia ex qua formatur, et virtus seminis formativa a generante deci-

ditur, tum quia primo illi colligatur, et intra ipsum formatur antequam nascatur. In vita autem sensitiva per ipsas potentias sentientes producitur cognitio, quæ magis intima est suo principio, quia fit per actionem immanentem, sed tamen non est totaliter intima, tum quia postulat principium ab extra, scilicet speciem impressam, et producit aliquem terminum, scilicet idolum seu speciem in aliis potentiis, scilicet a sensu externo in sensum communem, et a sensu communi in phantasiam, et ab illa in memoriam, ut in tertio de Anima dicitur. In vita autem intellectiva adhuc emanatio cognitionis est magis intima suo principio, quia licet in nobis requiratur species impressas ab extra provenientes, tamen species expressa, seu verbum quod formatur per ipsas, non transit ad aliam potentiam, sed in ipso intellectu manet. Est tamen altior vita intellectiva in Angelis, qui ab extra non accipiunt species cum careant sensibus, sed intus intellectui nascuntur, vel infunduntur a Deo, ipsa etiam species expressa intra intellectum manet, sed tamen, quia est accidens, et non substantia, ad perfectam generationem non pervenit. Quare perfectissima generatio ex omni parte est in Deo, in quo, et id quod procedit, est substantia, et ita conjuncta suo principio, ut sit unum, et consubstantiale, cum ipso juxta illud Joannis x: *Ego et Pater unum sumus*. Totus hic discursus est D. Thomæ.

Secunda particula est in similitudinem nature, in qua designatur qualis debeat esse res procedens in generatione, et qualis modus procedendi. Requiritur enim ad generationem viventis, ut id quod procedit non solum sit genitum, sed etiam filius, generantur enim ex vivente pili, ungues, vermes, et alia similia

quæ procedunt active a vivente, et ipso ministrante materiam, ex qua formentur, nec tamen procedunt, ut filii, quia non in similitudinem nature. Secundo, requiritur ut ipsa generatio sit essentialiter assimilativa, non solum concomitanter, vel in primo modo per se, sed etiam in quarto modo per se, ita quod eo modo sit per se ista: *Generans assimilata*, atque ista: *Calidum calefacit; Medicus jurat*, eo quod generalia est actio propagativa nature, et ita debet esse productiva ad imaginem, et similitudinem generantis quasi expressiva illius, quod est esse in quarto modo assimilativam, et non solum in primo modo per se.

Qua ratione intelligitur, quomodo in Divinis processio Verbi sit generatio, et non processio Spiritus Sancti, quia processio Spiritus Sancti est quidem processio rei similis identice, et concomitanter, imo et essentialiter in primo modo per se, quia est processio intra Deum et generali notione, quidquid est intra Deum est Deus; formaliter autem, et in quarto modo solum procedit ut impulsus Divinus, cui ex eo quod est Divinus, non tam convenit similitudo, quam identitas essentialiter in primo modo per se cum eo a quo procedit et sic ejus processio non est assimilativa. At vero Verbum ex ipsa formali ratione quam procedit, intra intellectum procedit, ut imago, et ut simile in quarto modo per se cum principio generante, et non solum ratione identitatis, quia est intra Deum, et ideo propriissime est generatio, et processio assimilativa in substantia, et natura, scilicet in ipso intelligi, et intelligere Divino, sicut si homo posset producere alterum hominem ex limo terræ, et artificio manus, et similiter per seminalem propagationem, ille qui procederet pro propagationem esset filius, qui autem artificioso non es-

set filius, licet uterque essentialiter esset verus homo. Sic ergo requiritur ad generationem quod aliquid procedat in similitudinem, tum ex parte ipsius rei generate, tum ex parte modi procedendi assimilativo modo, et hoc quantum est ex vi generationis, nam per accidens ex aliquo impedimento potest aliquid degenerare a perfecta similitudine, sicut monstrum, et tunc erit vera generatio, sed deficiens, et proprie degeneratio.

ARTICULUS II.

Quibus principis Philosophia assequatur dari generationem substantialem?

Tota difficultas apud veteres Philosophos circa investigationem generationis substantialis consistebat in eo, quod non poterant intelligere materiam primam, quæ esset in potentia ad esse simpliciter, et tamen in se esset ens in re, et consequenter non poterant intelligere formam substantialem, quæ daret esse simpliciter materie, scilicet ipsum primum esse, sic enim materia de se careret omni esse, et consequenter non esset ens; ex non ente autem non fit ens, quia ex nihilo nihil fit, ut late tractat Philosophus I Phys. et in hoc libro I de Generatione et I Metaph. c. II. Et ita diximus in q. III Physicorum, quod nisi ponatur materia ita esse ens in potentia, quod caret omni esse entitativo ex se, hoc ipso caremus omni principio ad ostendendum dari formam substantialem, quæ det primum esse quod est esse simpliciter, et substantiale.

Quare vel ex hoc manifestum fit apud Aristotelem et D. Thomam qui illum sequitur, omnino ignotum fuisse, quod materia prima haberet ex se actum entitativum, et existentiam incompletam, eo quod anti-

qui existimabant materiam esse non ens, et omnino nihil hoc ipso quod esset ens in potentia, ut constat ex Philosopho in hoc primo libro de Generatione, text. XII, ubi inquit: « Hoc maxime timuisse Philosophos antiquos in assignanda generatione substantiali, ne ex nihilo præexistenti aliquid generaretur. » Quod explicans D. Thomas ibi lect. VI, circa finem inquit: « Quod maxime timuerunt exprimi Philosophi, quod aliquid generaretur ex nullo præexistente, quod enim non est ens actu, nihil est. Sic igitur videtur, quod non posset esse generatio simpliciter hoc modo, quod substantia generetur ex non ente actu, ente autem in potentia. » Existimabant ergo antiqui, materiam hoc ipso, quod esset ens in potentia esse nihil, et consequenter carere actu entitativo seu existentia partiali, si enim haberet illam, bene staret, quod materia esset ens in potentia respectu formarum, et tamen non esset nihil, quia ut sit nihil, omni existentia debet carere etiam partiali. Philosophi vero antiqui inferebant, quod si esset ens in potentia, et non in actu, erat nihil, ergo existimabant carere omni esse etiam partiali. si esset in potentia ens. Aristoteles autem rejiciens hanc sententiam antiquorum non dicit materiam habere actum entitativum seu existentiam, licet sit in potentia ad formas, sed dicit materiam non esse nihil, sed existere quatenus est sub diversis formis; ratione cujus generatio unius est corruptio alterius, et sic generationem fieri per se ex ente in potentia, per accidens autem ex ente in actu, quia ad generationem per accidens est quod extiterit materia sub ista, vel illa forma, quæ corrumpitur, per quam habet esse in actu, ut docet I Physicorum, text. LXVI, et I de Generatione, text. XVII, ut explicat ibi D. Thomas lect. VII, circa fi-

nem. Si autem materia, ut concurrat ad generationem per accidens est ens actu, id est, per formam quæ corrumpitur, manifeste supponit Aristoteles materiam ex se non habere actum entitativum, vel existentiam partialem, alioquin fieret generatio ex ente in actu per se, quia non per formam, sed per suam entitatem esset existens, seu ens in actu.

Quare principium ad ostendum contra antiquos Philosophos, quod detur generatio substantialis, et quod introducatur forma substantialis in materia solum ex duplici capite sumitur. Primo, ex esse, quod discernit substantiam ab accidente, scilicet esse per se, quod est primum et substans aliis, quia si datur generatio substantialis debet dare esse per se, et introducere formam quæ det tale esse. Secundo, sumitur principium ex corruptione substantiali quæ generationi opponitur. Si enim hæc datur, etiam et generatio substantialis. Primo ergo modo procedendo necessario sumendum est pro principio, quod materia sit ens in potentia sine ullo actu entitativo, quia generatio substantialis supponitur est illa per quam acquiritur esse substantiale seu sit ens simpliciter, et quia antiqui dicebant, quod quidquid est ens, debet esse ens in actu, consequenter inferebant, quod si generatio supponit aliquod ens pro subjecto, debet supponere ens actu, et sic nulla generatio datur, quæ possit facere ipsum esse substantiale, id est, primum, et fundamentale esse, quod est substantiale. Cum ergo juxta principia Aristotelis admittamus, quod ex nihilo nihil fit, et rursus, quod generatio substantialis faciat ens simpliciter dando ipsum esse primum, et substantiale, oportet dicere, quod subjectum ex quo fit generatio substantialis, scilicet materia prima, neque sit

nihil neque sit ens actu de se, sed in potentia per se, et in actu per aliud, scilicet per formam. Si autem semel ponatur materia de se ens actu, et existens per actum entitativum non potest probari contra antiquos, quod forma ei adveniens sit substantialis, et quod generatio sit substantialis dans primum, et integrum esse, nisi probetur contra ipsos, quod etiam si supponatur esse partiale in materia, potest per formam advenientem illi, resultare esse substantiale, et partes ipsas substantialiter conjungi. Ad hoc autem non datur principium apud Aristotelem, nec potest dari, nisi petatur principium. Nec enim nobis potest constare contra negantes generationem substantialem, et formam substantialem, ut negabant antiqui, dicentes materiam esse totam substantiam rei, non inquam potest constare, quod forma aliqua, et ratio sint substantiales, nisi ratione ipsius esse substantialis (id est, primi et substantis omnibus) quod præbent. Si autem præsupponunt aliquod esse partiale in materia, occluditur ista via, et enervatur istud principium. Unde enim probabitur, quod illud esse, quod dat formam sit primum, et substantiale, si supponit aliud in materia cui advenit? Et si dicatur illud esse partialiter, hoc restabat probandum, et est petere principium, negabant enim antiqui dari formam substantialem, sed materiam esse totam substantiam rei. Unde ergo probatur illa partialia esse materiae primæ et formæ, ita facere unum, quod constituent generationem simpliciter? Sicut si producit aliqua pars integralis, et conjungitur alteri habenti jam esse, mutatio illa erit aggeneratio: et non prima generatio, quia supponit primum aliquod esse, ita si in materia supponitur esse, et forma producta addit ei aliud esse, etiam si sit partiale, non potest probari, quod sit

generatio simpliciter: quia ex ipso primo esse, unde probari debet substantialitas ista non probatur, siquidem supponitur aliquid esse in materia, et sic dicerent antiqui, quod forma non dat primum esse, et simpliciter esse, sed additionem seu aggenerationem ad esse præsuppositum, in nostra autem sententia, cum sit tantum unum esse, quod per formam tanquam per principium convenit composito et actuali materiam, idem est dare esse composito per formam, et dare primum esse, et simpliciter esse. Aliunde vero non probatur contra antiquos, istas duas partes esse substantiales, scilicet materiam et formam, nisi vel supponatur dari tales partes quod negabant ipsi, et sic esset petere principium, vel probetur esse substantiales, ex eo quod necessarie sunt ad generationem et corruptionem, et hoc iterum est, quod ipsi negabant dari scilicet generationem, et corruptionem substantialem, sed solum alterationem, quæ latentes formas apparere faceret, vel occultaret. Quare nisi dicatur formam dare ipsum primum esse, et consequenter materiam ita esse in potentia ad formam, quod nullum in se supponat esse, sed totum habeat per formam, non probatur generatio substantialis contra antiquos.

Ex secundo principio probatur, dari generationem substantialem, videlicet ex ipsa corruptione. Constat enim dari corruptionem substantialem, ergo debet dari generatio. Consequentia est bona, quia si formæ quando desinunt substantialiter corrumpuntur, ergo quando incipiunt, substantialiter generantur, et non solum apparent de novo, alias quando desinunt, solum occultarentur. Antecedens autem probatur, tum quia si non esset corruptio substantialis omnis substantia esset incorruptibilis in esse substantiali:

tum quia si forma non corrumpitur, sed manet in materia vel non distinguitur a materia: ergo etiam manebunt ejus propriæ passionēs, nec enim est cur proprias passionēs separemus manente forma, et natura, cujus sunt; constat autem, quod quando animal moritur non manent potentiæ sensitivæ in terra, vel igne, in quem convertitur. Nec dici potest quod manent ibi istæ potentiæ, sed impeditæ, et latentes, sic enim si in igne, v. g. est potentia videndi, et audiendi, sed tamen impedita, ignis esset cæcus, et surdus, quia habet istas potentias cum impedimento. Tum denique constat dari corruptionem substantialem in homine, quia ipso mortuo anima manet separata a corpore, alias non moreretur homo, si maneret anima unita materia; et homo esset incorruptibilis substantialiter; nec enim anima latet in materia, nec educitur, sed deforis venit. Recedente ergo anima oportet, quod in materia incipiat esse nova forma per veram generationem, siquidem forma, quam habebat, substantialiter separata est ab illo.

Alia probationes solent afferri ab aliis auctoribus quæ contra antiquos parum habent efficaciam, verbi gratia, quod materia prima est in potentia passiva ad omnes formas, quod dantur diversæ formæ substantiales, quod diversa accidentia, et operationes sequi debent ad diversas formas, eo quod materia de se est indifferens ad omnia. Hæc enim petunt principium, quia hoc erat, quod ipsi negabant, scilicet dari formas substantiales, aut accidentia sequi ad formam de novo advenientem, sed de novo apparentem in materia, in qua secundum se latitabat, eo quod dicebant materiam esse ens actu, et non indigere forma substantiali dante illi primum, et substantiale esse, sed supponente mate-

riæ existentia, et sic omnis forma de novo adveniens erit accidentalis, quia non conveniet ei propria ratio substantiæ, quæ importat primum esse, quod est substans aliis. Quare nisi affirmetur, quod materia est ens in potentia taliter, quod etiam primum esse habet per formam, istæ probationes evacuatur.

Contra generationem substantialem sic explicatam pauca sunt, quæ difficultatem faciant. Argumentum enim antiquorum quo movebantur, non habet vim. Dicebant enim non posse dari formam, quæ det primum esse quale debet esse substantiale, sic enim illa forma adveniret subjecto nullum habenti esse, siquidem forma subjecto dat primum esse, ergo illud subjectum est nihil, et ita simpliciter aliquid fieret ex nihilo, quod est non generari sed creari. Ad hoc respondetur ex doctrina Aristotelis et D. Thomæ, quod materia prima, nec est nihil, neque est ens in actu seu existens per se, et ratione propriæ entitatis, sed est existens per aliud, scilicet per formam, et ita de se est ens capax existentia, sicut et formæ, licet non sit ipsa forma, nec ipsa existentia. Quod autem est capax existentia vel vere est ens, et non est nihil, ut contradictorie opponitur enti, quia nihil neque per se, neque per aliud est capax existentia, materia autem, ut subjecta formæ, vere existit, non vero sine forma, imo etiam ipsum compositum substantiale, sine modo subsistentia, et sine accidentibus non existit, neque operatur.

Secundo objicies: Quia in ipsa substantia quæ generatur, solum invenitur essentia, et existentia, essentia fieri non potest, cum remota essentia non maneant, nisi prædicata essentialia, quæ sunt perpetuæ veritatis, et independentia a tempore. Existentia autem non est substantia, sed est aliquid accidentali-

ter conveniens substantiæ, supposito quod ab ea distinguitur, imo et ipsa actio generativa accidens est de prædicamento actionis: ergo terminus ejus est accidens.

Respondetur, essentiam non fieri, nec produci ex parte connexionis essentialis prædicatorum objective sumptam, sic enim objective est æternæ veritatis, sed subjective, ut in se existens producitur ipsa essentia, et substantia, ut subjecta existentia, ita quod essentia se habet ut res existens, existentia vero, ut id quo existit, tanquam terminus actualis productionis, et essendi extra causas. Et licet existentia dicatur accidentaliter convenire, non tamen tanquam accidens prædicamentale, sed accidentaliter prædicabiliter, tanquam modus, vel terminus substantiæ, quæ reducitur ad ejus prædicamentum. Revera tamen essentia ipsa producitur, ut subjecta existentia, non seorsum ab illa, sicut neque seorsum a productione, sed per illam, et natura non producitur seorsum a composito, vel supposito, sed in illo. Essentia autem ut subjicitur existentia aliquid temporale est, et non æternum, neque æternæ veritatis, quia per temporalem actionem datur existentia, et subjectio essentia ad existentiam. Generatio autem est accidens de prædicamento actionis formaliter, sed terminative respicit substantiam, eo quod exit a potentia generativa in virtute substantiæ, et ideo est accidens, et tamen ad substantiam producendam tendit.

Denique arguitur: Quia si una generatio succedit alteri, sequitur quod plures res specie diversæ participant eandem materiam, atque adeo non erunt substantialiter, et ex omni parte diversæ. Similiter etiam materia pertinebit ad diversas species, modo ad unum, modo ad aliam prout fuerint diversæ formæ: quibus

unitur, et sic non manebit simpliciter eadem, siquidem actualitatem, et speciem sumit a forma.

Respondetur, non esse inconveniens, quod res specie diversæ habeant materiam communem, sicut habent, non tamen simul informando, sed successive, quia materia sic est capax omnium formarum, et in potentia ad illas. Et ita non communicant in eadem materia numero, sed eadem materia secundum potentialitatem servit ad diversas formas in diversis compositis, successive una forma excludente aliam, et diversum compositum constituen- te, quod non est inconveniens. Nec inconvenit, quod materia participet per informationem diversas species formarum et constituat diversa composita successive, quia est in potentia ad illas, de se autem non habet nisi entitatem potentialem, quam utique a forma non accipit, sed recipiendo in se formas, actuatur ab illis, et reducitur in actu ad illam speciem a qua informatur, cum enim materia sit pars speciei et compositi, quod constituit, ad multas species potest reduci in actu, eo quod ad omnes est in potentia.

ARTICULUS III.

In qua actione, et mutatione consistit generatio substantialis?

Ut cognoscamus, et discernamus substantialem generationem inter multas actiones quæ ad illam concurrunt, oportet duo investigare. Primum, an sit generatio substantialis actio et mutatio distincta a tota actione dispositiva, quæ per alterationem operatur in materia, an vero posita alteratione usque ad ultimam dispositionem, sine nova actione resultet generatio. Secundum est in ipsamet generativa actione, quia debeamus assignare formalita-

tem, in qua consistat ipsa ratio generationis substantialis, invenitur enim in actione generativa ratio educationis vel productionis formæ, similiter ratio unionis formæ ad materiam, ratio etiam conversionis, et alia similia, inter quæ oportet discernere, quid formaliter pertineat ad rationem generationis. Quod vero attinet ad actiones subsequentes generationem, non oportet investigare, quomodo discernatur ab illis generatio, quia consummata, et transacta generatione, actiones quæ restant, manifestum est quomodo ab illa distinguantur, et ad generationem constituendam non pertineant, sed illam supponant, ut nutritio, augmentatio, et aliæ similes. A quo vero principio immediate procedat generatio substantialis in illo instanti, in quo perficitur, et in quo forma introducit diemum art. vii.

Circa primum sentiunt aliqui, generationem non esse actionem distinctam ab alteratione, sed posita alteratione, quasi resultare et consequi ad ipsam, et hæc vocatur generatio, et se habet, ut terminus alterationis, non quidem ab alteratione productus, illamque specificans, hic enim est qualitas, sed consecutus et resultans sine nova efficientia propter connexionem naturalem cum illis dispositionibus sicut resultant passionem posita essentia, sine nova efficientia. Fundamentum sumitur, primo ex quibusdam auctoritatibus D. Thomæ in quibus frequenter repetit, generationem esse terminum alterationis. Et specialiter in tract. de Natura materiæ, id est, opus. XLII, inquit: « Quod alteratio, per quam spoliatur materia a forma priori in se requirit subjectum actu existens, quia ipsa est motus, in suo vero termino non requirit subjectum actu existens, terminus autem ejus generatio est. » Et loquens de generatione hominis i p.

q. cxviii, art. ii ad 4, inquit: « Quod homo generat sibi simile in quantum per virtutem seminis ejus disponitur materia ad susceptionem talis formæ. » Ubi generationem etiam reduplicative, ut est generatio rei similis constituit D. Thomas in actione seminis dispositiva.

Deinde, sumitur fundamentum ex ratione, quia non possunt accidentia se solis producere substantiam actione substantiali distincta ab accidentali accidens enim per se producant) neque similiter substantia per se immediate potest talem distinctam actionem producere, cum non sit immediate operativa. Neque similiter accidens, ut motum a substantia potest illam distinctam actionem producere, quia est eadem difficultas de illa motione quomodo procedat a substantia, et non medio alio accidenti. Si autem accidens non recipit novam, et excellentiorem motionem, ut producat substantiam, ergo eademmet actio, qua producit accidens, non excellentior facta neque elevatior producit substantiam, et hoc est quod intenditur, quod eadem actio, quæ attingit calorem transeat ad substantiam ignis mediante positione caloris resultantem ex connexionem ad illum.

Nihilominus oppositum dicendum est: Generationem esse actionem distinctam ab alteratione, nec substantiam resultare ex alteratione, vel ex qualitate per illam producta sicut propriæ passiones resultant ex essentia, sed per veram efficientiam produci distinctam ab efficientia qua ipsa qualitas per alterationem producit, nec D. Thomas unquam dixit substantiam ipsam resultare ex alteratione, vel ex qualitate per illam producta, sed quod generatio (id est, actio ipsa) est terminus alterationis, si autem substantia resultaret ex ipsa, non diceretur generatio esse terminus alterationis, sed res ipsa

genita, si ergo generatio ipsa est terminus alterationis, ergo est distincta actio ab ea.

Quod autem D. Thomas ponat ipsam generationem tanquam distinctam actionem ab alteratione constat in primis, quia in iii cont. Gent. c. lxxvii, inquit: « Quod si forma accidentales, quæ sunt in rebus corporalibus habent proprias actiones, multo magis forma substantialis habet aliquam propriam actionem, non est autem hujusmodi actio disponere materiam, quia hæc fit per alterationem ad quam sufficienti formæ accidentales, ergo forma generantis est principium actionis, ut forma substantiali introducat in generatum. » Ita D. Thomas ubi distinguit actionem introducens formam substantialem ab actione disponente materiam, quæ est alteratio, ad quam dicit sufficere formam accidentalem, ad illam vero requirit formam substantialem generantis, licet non ut principium proximum. Item generatio et corruptio, ita dicuntur terminus alterationis, quod etiam habent ulterius suos terminos, et pro ea parte qua ulterius habent terminos, non sunt ipsa substantia genita vel corrupta, sed actio seu tendentia ad ipsam. Antecedens probatur ex D. Thoma II-II, q. clxiv, art. 1 ad 7, ubi inquit: « Quod mors potest sumi uno modo pro ipsa privatione vitæ, alio modo secundum quod nominat ipsam corruptionem, quæ terminatur ad privationem prædictam. De corruptione autem, sicut et de generatione dupliciter loqui possumus; uno modo secundum quod est terminus alterationis; alio modo corruptio potest accipi cum alteratione præcedenti, prout dicitur aliquis mori, dum movetur in mortem. » Ecce quomodo D. Thomas et fatetur corruptionem esse terminum alterationis, sicut et generationem ipsam, et tamen

corruptionem dicit ad privationem terminari, atque adeo similiter generatio terminabitur ad oppositum privationis, quod est forma, ergo sentit generationem et corruptionem non solum esse quid distinctum ab alteratione, tanquam terminum productum, seu resultantem, sed tanquam actionem utpote qui respiciat terminum.

Fundamentum autem assertionis positæ est, quia alteratio quæ toto tempore antecedente instans generationis procedit, existit in subjecto desinente, et corruptio: ergo non potest ex tali alteratione resultare ipsa substantia genita, nisi intercedat nova, et distincta actio producens ipsam substantiam. Antecedens constat infra art. vi et vii, concediturque ab Auctoribus oppositæ sententiæ, eo quod alteratio non subjectatur in nuda materia, cum sit motus, sed in composito, ante instans autem generationis non datur compositum generatum, sed corrupendum in instanti generationis: ergo in illo subjectatur alteratio. Consequentia autem probatur, quia non potest resultare generatio ex alteratione in eo subjecto, in quo existit alteratio, siquidem illud corrumpitur per generationem, et sic in eo non resultat generatio, cum sint incompatibilia, res quæ generatur et subjectum in quo est alteratio illa antecedens ad instans generationis. Si autem resultat generatio in alio subjecto, in quo alteratio non existit, quia corrumpitur ad corruptionem subjecti: ergo non potest resultare ex ipsa talis generatio, alioquin resultaret ex ipsa, id quod destruit ipsam, hoc autem est impossibile cum resultantia fundetur in connexionem necessaria, et per se unius cum alio, non autem potest habere connexionem necessariam per modum resultantiæ cum eo, cum quo est incompatibile.

Unde non potest dici, quod ad istam resultantiam non requiritur quod alteratio existat in eodem instanti in quo generatio resultat, sed sufficit immediate antea existisse, et virtualiter manere in instanti generationis. In hoc enim fundamus totam vim rationis factæ, quia repugnat fieri aliquid per resultantiam, et non per novam actionem hoc ipso, quod non existit, sed habet impossibilitatem aliquid cum illo, quia resultantia, ut distinguitur ab actione fundatur in connexionem necessario, et per se unius cum alio, ita ut existente illa, existat alia resultantia, quia eadem actione fiunt, et cessat prima, cessat secunda, sicut ipsa passio resultat ex essentia, et existit cum illa, sed alteratio ut est actio et motus, in ipso subjecto, quod corrumpitur desinit, et non existit in instanti generationis: ergo ex illa non resultat res genita, nec per resultantiam habet esse ex illa, cum potius sit incompatibilis cum illa in eodem instanti. Quod si dicas, intercedere hanc connexionem, quia dispositio illa necessitat ad generationem, respondetur intercedere connexionem, et necessitatem unius actionis cum altera actione, id est, actionis alteratiæ cum generativa, et sic necessitatur agens ad illam secundam actionem ex suppositione primæ, sicut posito assensu præmissarum necessitatur intellectus ad assensum conclusionis, et tamen assensus conclusionis est distinctus actus ab assensu præmissarum, hæc tamen connexio actionum supponit generationem esse actionem distinctam, alioquin non sequeretur ex vi connexionis ut distincta a prima, non autem quod eadem actione, qua fit unus terminus sine nova actione, resultet alius in vi solius connexionis, sicut passiones propriæ.

Ad primum fundamentum oppositum desumptum ex auctoritatibus

D. Thomæ respondetur, quod quando dicit generationem esse terminum alterationis, sensus est, quod est finis illius tanquam actio principalior, ad quam ordinatur alteratio, non tanquam ad rem productam per resultantiam, sed tanquam ad actionem distinctam, quæ præsupposita alteratione ut disponente, oritur necessario a generante, sicut si diceretur quod assensus conclusionis est terminus assensus præmissarum. Quod ex ipsa doctrina D. Thomæ manifestum fit, dicit enim quodl. xi, art. iv: « Quod per alterationem materia disponitur ad formam et per motum localem corpus luminosum accedit ad situm, in quo illuminat, et secundum hoc dicitur quod generatio et corruptio sunt terminus alterationis, et illuminatio motus localis. » Et similia dicit I p. q. lxxi, art. iii, ubi parificat motum localem respectu illuminationis cum motu generationis respectu alterationis, sed constat, quod illuminatio est actio distincta a motu locali, ergo etiam generatio substantialis est actio distincta ab alteratione, et sic explicatur quod dicit D. Thomas quodl. vii, ar. ix, quod alteratio habet duos terminos, scilicet qualitatem, et formam substantialem, intelligitur enim habere duos terminos non per modum resultantiæ unius termini ad alium, sed per modum ordinationis hujus actionis ad aliam. Et sic etiam exponitur quod dicit in opuse. ii, quod terminus alterationis generatio est, intelligitur enim quod est terminus per modum finis tanquam actio distincta et principalior, non quod ipsa substantia genita per resultantiam oriatur ex alteratione sine nova actione.

Ad id vero quod adducitur ex D. Thomæ de generatione hominis, respondetur quod homo dicitur generare sibi simile in quantum per ejus virtutem disponitur materia, non

producendo, vel educendo formam ex materia, sicut aliæ generationes, sed quia disponendo materiam unit illi formam et sic illam attingit ut unitam, quæ expositio sumitur ex ipso D. Thomæ q. iii de potent. art. ix ad 6, ubi inquit: « Quod in aliis generationibus generans est causa ipsius formæ, in anima autem rationali est causa unionis talis formæ ad materiam per hoc quod disponit materiam ad eam, nec oportet quod sit causa ipsius formæ. » An vero sicut cum producitur forma in aliis generationibus, et datur distincta actio producens formam ab alteratione disponente, ita quando attingitur forma hominis unitive attingatur distincta actione D. Thomas non dicit. Et in hoc sunt diversæ opiniones, nam Ferrariensis contra Gent. c. lxxxix, solum videtur admittere, quod homo virtute seminis non producit nisi dispositiones, quibus corpus disponitur, ut sit particeps animæ rationalis, ad quas dispositiones necessario sequitur unio animæ in corpore, ratione cujus virtus seminis est causa prædictæ unionis. Et hoc ideo, quia actio hominis non potest terminari intrinsece ad animam rationalem, quæ spiritualis est, solum ergo terminatur ad id quod ex parte materiæ se tenet, id est, ad dispositiones.

At vero Cajetanus I p. q. cxviii, art. ii, amplius concedit quam dispositionem attingentiam, scilicet actionem quæ per se terminatur ad unionem animæ ad corpus, non quidem tenentem se ex parte animæ, sic enim infunditur a Deo dum creatur in corpore, sed ex parte materiæ quatenus facit non solum dispositiones; sed etiam quod materia subdit formæ, non quidem attingendo ipsum esse formæ, sed ejus inesse, seu communicari ad materiam, quatenus corporeo et materiali modo materia subest, et unitur formæ ter

minaturque ad animam quatenus eminenter est forma corporea, licet in se sit spiritualis, sic enim salvatur proprius et formalis quod homo generat hominem, et quod forma humana est formalis terminus generationis, ut informans, et communicata materiæ.

Ad fundamentum ex ratione petitum respondetur generationem, ut est actio distincta ab alteratione procedere a substantia mediis accidentibus, ut habent rationem instrumenti substantiæ, ut diximus in q. xii Physic. et sumitur ex D. Thomæ iii contra. gent. c. lxxix et ip. q. cxv, art. i ad 5, ubi inquit: « Quod corpus agit et ad formam accidentalem, et ad formam substantialem, qualitas enim activa ut calor, et si sit accedens, agit tamen in virtute formæ substantialis, sicut ejus instrumentum, et ideo potest agere ad formam substantialem sicut et calor naturalis in quantum est instrumentum animæ, agit ad generationem carnis, ad accedens vero agit propria virtute. Nec est contra rationem accidentis, ut excedat suum subjectum in agendo, sed quod excedat in essendo. » Ita D. Thomas qui etiam videri potest de hoc I p. q. xlv, art. viii ad 2. Fatetur ergo D. Thomas accedens habere sufficientem motionem, ut attingat substantiam hoc ipso, quod est virtus substantiæ quæ in ipsa radiceatur, et tanquam aliquid illius, et ut instrumentum ejus producit, alias solum produceret virtute propria, si præcisè secundum quod qualitas est operaretur, et non ut aliquid substantiæ. Quid autem addat ista motio supra ipsam virtutem, ut sit instrumentum substantiæ diximus quæst. xii citata, art. iii, et videri potest D. Thomæ I p. q. cxviii, ar. i ad 2, ubi inquit: « Quod virtus illa activa quæ est in semine ex anima generantis derivata, est quasi quædam motio ipsius animæ generantis, nec est

anima, aut pars animæ nisi in virtute sicut in serra, vel securi non est forma lecti, sed motio quædam ad talem formam, et ideo non oportet quod ista vis activa habeat aliquod organum in actu, sed fundatur in ipso spiritu incluso in semine. » Et idem docet in quæst. de Anima, art. xi ad 2. Fatetur ergo D. Thomas hanc virtutem non habere aliam vim præter motionem generantis, quæ non est aliud quam egressio talis virtutis ab ipso, postquam enim egressa est virtus a generante, non recipit aliam motionem in ipso.

Quod si dicas: Nam in instrumentis eadem actio, quæ attingit terminum proprium, eadem ut elevata attingit terminum principalis agentis, ergo similiter virtus instrumentalis generantis per eandem actionem, quæ est alteratio attingit terminum proprium alterationis qui est qualitas, et eadem ut elevata attinget ipsam formam substantialem ut generatio, respondetur hoc jam non pertinere ad sententiam quam impugnamus, quæ dicit resultare ipsam rem genitam posita alteratione, obiectio autem procedit de vera efficientia attingente per alterationem instrumentaliter rem genitam. Veritas tamen est, quod alteratio non est ipsa actio instrumentalis, quæ elevatione superioris agentis attingit effectum principalem, sed est actio antecedentis habens suum terminum qui est positio, subjectaturque in re corrupta, et ordinatur ad actionem generativam, tanquam ad principalem, quæ consequitur, et inhæret in ipsa regenerata. Unde virtus generantis movet ordine quodam duplici actione ordinata; prima per alterationem ad dispositionem, quæ est proprius terminus ejus; secunda per generationem substantialem, in quo agit ex motione quodam substantiæ generantis. Et in hoc illa virtus habet rationem

instrumenti, licet enim prius operetur ut causa principalis effectum proprium, qui est ipsa dispositio, tamen postmodum instrumentaliter, ut virtus substantiæ generantis ipsam substantiam genitam attingit. Nec oportet quod in instrumentis semper sit eadem actio illa quæ præcise operatur dispositionem, et quæ introducit formam principalem, sed potest esse diversa actio, præsertim quando necesse est corrumpi dispositionem præviam per productionem formæ principalis.

Secunda difficultas.

Circa secundam difficultatem notandum est, quod generatio habet plures formalitates seu respectus, habet enim rationem mutationis, conversionis, eductionis, sive unitionis, productionis, et tandem corruptionis, quæ ex illa sequitur. Habet rationem mutationis respectu subjecti ejus, quod est materia prout præcise reducit potentialitatem ejus in actum. Rationem conversionis habet etiam respectu materiæ cum respectu ad formas, quarum unam deserit, et aliam accipit, et sic unam vertit in aliam. Habet rationem eductionis respectu formæ prout dependenter a materia, et per ejus transmutationem fit, et existit. Habet rationem unitionis quatenus tam materiam, quam formam applicat, et immutat ad communicationem ejusdem unitatis in composito. Habet rationem productionis respectu totius compositi, quod de novo ponit in esse, vel etiam respectu formæ quam educit. Habet denique rationem corruptionis respectu compositi præcedentis quod destruit, nec oportet quod destruat formam, ut patet in corruptione hominis, sed sufficit quod eam amoveat a materia, corrumpatque compositum.

Omnes istæ formalitates pertinent ad unam et eandem actionem, quod patet, quia ab unica virtute, et in ordine ad unum terminum singularem tendit illa actio. Quæcunque autem actio, quæ est in individuo, respicit terminum a quo, et ad quem et subjectum, ergo fundat istas omnes formalitates seu respectus, qui in materia, et in forma et in termino a quo et ad quem, et in comparatione eorum ad invicem inveniuntur.

In qua autem ex his formalitatibus essentialius, et proprius consistat generatio, articulo sequenti dicemus agendo de termino formali generationis, inde enim dependet hæc resolutio, tractando quis sit formalis terminus generationis: constat enim quod cum generatio sit actio, et mutatio, formalis debet sumi per ordinem ad terminum ad quem quam secundum formalitatem, et respectum ad terminum a quo.

Solum oportet advertere in præsentia, quomodo generatio dicatur conversio, quod constabit explicando, quid requiratur ad conversionem. Requiritur enim ad illam quinque: primo, quod terminus conversus, qui est terminus a quo, desinat esse, quia si manet non vertitur in alium. Secundo, quod incipiat de novo terminus ad quem, seu convertens, vel absolute in suo esse, vel saltem secundum aliquem novum modum essendi, sicut alio modo est Christus in Eucharistia, quam in celo. Tertio, quod inter terminum conversum et convertentem sit aliqua connexio, aut dependentia quatenus unus succedit alteri, et sic saltem in ipsa successione connectuntur. Quarto, quod sit inter terminos positivos, quorum unus corrumpatur et alius generetur, et quod non corrumpatur absolute quasi per annihilationem, sed definiendo in aliud in

quod convertitur. Quinto, quod maneat aliquid commune utrique termino converso, et convertenti, sive per modum subjecti, ut in generatione, sive per modum accidentis extrinseci, ut in transubstantiatione; licet videatur probabile quod absolute potest fieri a Deo conversio sine hac conditione, ut si converteret totam substantiam panis, et ejus accidentia in substantiam et accidentia Christi, aut Angeli; sed tamen tunc non haberet ita proprie rationem conversionis. Unde constat esse diversam formalitatem conversionis et motus, licet uterque versetur inter terminos positivos ad constituendam latitudinem et distantiam vincendam per motum, conversio autem non respicit terminos positivos, ut constituunt latitudinem, et distantiam pertranseundam per motum, cum possit salvari conversio sine motu; ut in transubstantiatione, sed ut non fiat aliquid ex nihilo, sed supponatur aliquid transferendum, et transponendum in aliud.

Conversio alia est substantialis, alia accidentalis. Accidentaliter est, quando fit transitus de uno accidenti in aliud, ut quando album fit nigrum, et hæc semper est conjuncta cum motu: substantialis est, cum fit transitus ab una forma substantiali ad aliam, et hæc semper habet conjunctam duplicem mutationem, alteram generativam, alteram corruptivam. Item alia conversio est formalis, alia totalis; formalis est, quando manente aliquo subjecto de una forma fit transitus ad aliam: totalis est, quando tota entitas sive substantia, nullo subjecto communi manente transit in aliam, sicut transubstantiatio in Eucharistia, et hæc non potest fieri naturaliter, quia nulla actio naturalis operatur, nisi præsupposito subjecto, seu materia non destruendo illam. De quo vide D. Thomam III p. q. LXXV, a. VIII

ubi designat modos loquendi in istis conversionibus.

Ex his autem colligitur, generationem esse conversionem, quia licet generatio pro termino formali a quo habeat privationem, tamen quia hæc privatio antecedens, naturali modo est conjuncta alicui formæ positivæ ratione cujus generatio unius semper est corruptio alterius, et forma ista quæ corrumpitur non annihilatur, sed desinit in aliam, ideo vere, et proprie intercedit conversio in generatione substantiali. Et formalitas conversionis differt a formalitate generationis, quia generatio habet pro termino a quo privationem, conversio formam ut mutandam in aliam succedentem. Et sic est unica actio, sed duplex mutatio, ut dictum est, eo quod duplex forma mutatur, una de non esse ad esse, quæ fit de novo, altera de esse ad non esse, quæ corrumpitur, actio tamen est una, quia ab unico agente dimanat una causalitas, quæ respicit duplicem terminum, unum a quo, alterum ad quem, inter quos constituitur distantia unica percurrenda per motum, et actionem. In generatione autem et corruptione hominis non fit conversio in substantiam formæ rationalis, aut ex ipsa, quia non desinit, sed in ipsam, ut informantem, vel desinentem informare.

ARTICULUS IV.

Quis sit terminus formalis, et quis adæquatus generationis substantialis?

Distinguiamus in generatione terminum adæquatam, seu totalem, et terminum formalem, seu specificativum. Primus solet vocari terminus ut *quod*, seu *qui* producit. Secundus terminus ut *quo*. In termino adæquato, seu *quod* consideramus omnes partes, ipsamque naturam integram constituentem, et